tuis literis humanius, aut amicius, quid carminibus elegantius, venustius, acutius? ad quæ cave existimes me tandem obsurduisse; vel nobis (ut cum Platone loquar) ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον. Vale Vir Eximie una cum tuis omnibus, & nos de valetudine tua, quam antehac afflictam fuisse accepimus, certiores facias rogo. Ultrajecti v. Id. Junii. CIↃ IↃ C XL.

Viro Clarissimo

D. JOHAN. DE LAET

S. P. D.

ANNA MARIA

A SCHURMAN.

NOtam inhumanitatis incurrerem, Præstantissime atque amicissime Vir, si nihil ad humanissimas tuas literas responderem: præsertim vero cum Frater meus, in Angliam cogitans, vos ἐν παρόδῳ videre in animum induxerit. De libello adversus

D. Sal-

D. Salmasium in lucem prodituro nihil hucusque inaudivimus: atque ipse D. Voetius harum rerum utique ignarus est. Accedit quod N.N. plus satis habet quod agat domi suæ: quippe cui nunc gemina, ut accepi, incumbit professio. Proinde confictos esse opinor hosce rumusculos & quidem à malevolis, qui famam & splendorem magni illius viri æquis oculis intueri non sustinent. Vale virorum optime, una cum omnibus qui tibi sunt chari. Ultrajecti VI. Kal. Aprilis, cIↃ IↃ CXLI.

Nobilißimæ

Dæ MOOR.

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

Nobilißima Domina,

NEctare dulciores mihi visæ sunt tuæ literæ, quibus, quia summopere delector colloquio tuo, citius respondissem, nisi frater meus, qui